

25. *Quest. 6.* Quænam sunt pœnæ Sodomitis a legibus inflictæ? R. a lege Civili Sodomitas damnari pœna mortis, & combustionis; a lege autem Canonica tam Clericos, quam Regulares privilegio Clericali, Officio, ac Beneficio privari. Et insuper præcipitur, ut Sæculari potestati tradantur. Non tamen istæ pœnæ locum habent, nisi sodomia sit consummata cum pollutione intra vas, & maris cum mare, ut tenet communis sententia. Nec pœnæ Clericorum intelliguntur, nisi vitium hoc sit frequens, & usu continuatum, teste Navarro. Requiritur præterea Judicis sententia, ut in aliis legibus pœnalibus usu venit. Sunt qui pœnas Sodomix intelligendas esse volunt etiam de peccantibus cum belluis, quia eadem est ratio, & crimen istud est gravioris malitiæ. Sed immerito, quia lex pœnalis non pendet a ratione legis, sed a voluntate legislatoris, secus ac evenit in lege præceptiva.

TRACTATUS VI.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

Non furaberis. Exodi 20.

Hoc præcepto prohibetur omne damnum injuste proximo illatum in bonis ipsius, quod fieri potest 1. per furtum, & rapinam. 2. per omissionem reparationis damni. 3. per iniquos contractus. De tribus his ageamus sigillatim, quibus abjiciemus appendicem de Justitia, & Jure.

CAPUT I.

De furto, & rapina.

1. *Quest. 1.* Quid est furtum, & in quo differt a rapina? R. furtum stricte tale est occulta, & injusta rei alienæ ablatio, invito rationabiliter domino. Dicitur *occulta*, ut distinguatur a rapina, quæ est aperta ablatio, & violenta rei alienæ, proindeque ex genere suo peccatum gravius furto. Dicitur *injusta*, nam si justa sit causa accipiendi rem alienam, non est furtum; nec tale censetur, etiam si invitatus sit Dominus, quando nulla est ipsi rationalis causa, ut sit invitatus. Sic qui ab alio librum perniciosum aufert, ne legat, aut vinum, ne inebrietur, reus furti non est. Pariter uxor auferens a marito pecunias, ne ludo, aut comensationibus prodigat, vel ut familiam sustentet, quas a marito petere non audent, furtum non committit; quia ille non est rationabiliter invitatus. Denique nota, nomine injustæ *ablationis* intelligi etiam injustam detentionem rei, quæ antea sive juste, sive injuste fuit accepta, ut notat S. Th. 2. 2. q. 66. a. 3. ad 2.

2. *Quest. 2.* Quotuplex est furtum, & quale peccatum? R. dividitur in *simplex*, & *qualificatum*, quod ad rationem furti aliquam addit circumstantiam, quæ graviori pœna dignum reddit peccatum. Hoc est quadruplex: 1. sacrilegium, scilicet furtum rei sacræ, vel rei profanæ a loco sacro. 2. peculatus, furtum rei ad

publicum ærarium pertinentis. 3. plagium quod est surreptio servi alieni, vel hominis liberi. 4. abigeatus, sive abductio alienorum pecorum. Omne furtum est mortale ex genere suo, tum contra charitatem, tum contra justitiam, quæ ex se graviter obligant. Constat ex 1. Cor. 6. *neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Potest autem esse veniale ex levitate materiæ, quia per furtum rei levis non nisi leve damnum ut plurimum affertur proximo. Verum si res in se levis adeo proximo sit necessaria, ut ea ablata, grave detrimentum patiatur, auferre rem quantumvis levissimam, erit grave peccatum ratione damni, quod proximo inferitur.

3. *Quæst. 3.* An liceat aliena surripere in gravi, vel extrema necessitate? R. 1. non licet in necessitate tantum gravi, ut constat ex prop. damnata ab Innoc. XI. *permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Nam si id liceret, pateret via innumeris furtis, cum homines facile sibi persuadeant gravi necessitate laborare. R. 2. iis, qui sunt in extrema necessitate constituti, licet alienum surripere, quantum sit opus, ut sese ab ea necessitate eripiant. Ita DD. omnes cum S. Th. 2. 2. q. 66. a. 7. quia in extrema necessitate omnia bona sunt communia; divisio enim facta est jure gentium, quo non potest derogari naturali juri, quod habet unusquisque sibi providendi in extrema necessitate per bona a Deo naturæ concessa. Nec solum pro se, sed etiam pro alio in eadem necessi-

tate constituto potest aliquis occulte rem alienam accipere, ut subveniat proximo indigenti, inquit ibidem D. Th. si nempe ex propriis bonis nequeat illi subvenire.

4. *Quæst. 4.* An idem liceat in necessitate gravissima, vel quasi extrema, scilicet dum quis est in probabili mortis periculo, nisi de alienis bonis sibi provideat? Affirmant communiter DD. quorum sententiam certam vocat Tamburinus, qui cum Lugo, Sporer, Roncaglia; & aliis idem sentiunt de eo, qui versatur in periculo proximo amittendi membrum aliud quod principale, aut in captivitatem incidendi. Atque in eadem necessitate versari dicunt aliqui patrem, qui ob inopiam est in periculo prostituendi filiam. Sed contradicunt Salmant., quia nulla necessitas potest aliquem cogere ad peccandum, cum possit alia via, saltem medicando, necessitati suæ providere. Neque vero mendicandi necessitas etiam in viro honorato dici potest extrema necessitas, cum bona temporaria solum ordinentur ad servandam vitam non tamen honorem. Ita Salmant. Sed contrarium videtur esse probabilius, quando tantus sit pudor mendicandi in viro nobili, aut honesto, ut mortem potius, quam mendicitatem sibi optandam putaret.

5. *Quæst. 5.* An pauper in extrema necessitate constitutus possit occulte rem alienam surripere, an vero teneatur eam petere? R. cum Lugo: si res illa peculiaris sit omnino necessaria ad extremam necessitatem sublevandam, nullo modo peccat, etiamsi clam surripiat, cum

ex D. Th. laudato jus habeat ad eam accipien-
dam; peccabit verò graviter non petendo, si
res non ita sit necessaria, alias mendici possent
clam an ferre aliena, quibus indigent. Quid ve-
ro si pauper in extrema necessitate indigeat re
magni pretii, & valoris? Licebit ne illam au-
ferre? Quidquid alii sentiant, affirmandum cen-
seo, cum in ea hypothese omnia fiant commu-
nia, adeoque pauper jus habeat ad omne id,
quod necessarium est ad vitæ suæ conservatio-
nem, ut expresse tradit D. Th. qui non distin-
guit inter rem magni, & parvi valoris. Excipe,
nisi alter sit in pari necessitate, vel ad eam, re
ablata, esset redigendus; quia tunc melior est
conditio possidentis.

6. *Quest. 6.* An surripieus rem alterius in
extrema necessitate, hac cessante, teneatur eam
restituere? R. cum distinctione: Si ille tunc tem-
poris erat ita pauper, ut bona aliunde nullâ ha-
beret, nihil tenetur restituere, quia iste, ut
docet D. Th. suum effecit, id quod accepit ut
necessitati extremæ subveniret. Quod si non e-
rat absolute pauper, sed aliunde facultates ha-
bebat, vel spem probabilem habendi, rem in
necessitate consumptam debet postea restituere,
cum solum illi jus fuerit rem accipiendi, quan-
tum præsens necessitas exigebat: necessitas au-
tem non erat simplex, & absoluta, adeoque
solum dabat jus accipiendi rem alterius cum o-
nere restituendi. Hinc qui in necessitate rem
alienam surripuit, hæc transacta, tenetur res-
tituere id quod superest post sui subventio-
nem; cum solum acquisierit dominium rei alie-

næ, quantum ad sui indigentiam erat neces-
sarium. Pariter ex communi, & probabiliori DD,
sententia fur consumens in extrema necessita-
te rem ante ablatam, tenetur eam restituere,
si facultas adsit; quia obligatio contracta ex
injusta acceptione non exstinguitur ex necessita-
te postea adveniente, quæ solum suspendit obli-
gationem restituendi. Nihilominus videtur mi-
hi probabilis contraria sententia docens, furem,
qui rem alienam in extrema necessitate consum-
psit, non teneri ad restitutionem; cum enim in ea
omnia bona sint communia, sicut fur in extre-
ma necessitate jus habet accipiendi, ita con-
sumendi rem alienam, ac de novo eam surri-
piendi.

7. *Quest. 7.* Quænam sit gravis in furto
quantitas ad mortale peccatum? Quantitas fur-
ti potest esse gravis vel *absolute*, vel, ut a-
junt, *relative*. Gravis absolute dicitur quan-
titas ablata, quæ secundum se spectata nota-
bilis est, & parit utilitatem notabilem, adeo-
que reddit invitum rationabiliter, cui res au-
fertur, sive dives ille sit, sive pauper. Dici-
tur autem gravis *relative* ea quantitas, quæ
licet in se non sit magni momenti, grave ta-
men incommodum Domino infertur, si surripia-
tur. Unde merito ait Navarrus, reum fore gra-
vis furii, qui acum auferret sartori, qui ca-
rens ea non posset sibi aliunde providere. Quæ-
nam autem sit gravis absolute materia, ut fur-
tum censeatur mortale, non convenit inter DD.
Communis eorum est opinio, sufficere ad le-
thale, auferre alicui quantum satis est ad sui,

& familiæ suæ sustentationem. Alii pro diversis personarum generibus diversam assignant quantitatem. Nobis quidem probabilius videtur, 1. unum aureum semper esse materiam gravem, etiam si auferatur a divitibus, & locupletibus; privantur enim re in se notabili, de qua possent disponere in usus proprios, vel alienos cum utilitate; adeoque sunt inviti rationabiliter, si surripiatur. 2. pro personis mediocri fortunæ, qui ex proprio labore vivunt, duos regales, vel quod sufficit ad sui sustentationem. 3. pro mercatoribus, aliisque mediocriter locupletibus quatuor regales, in quo tamen variari potest, si variet æstimatio monetæ, ut solet.

8. Nota tamen 1. plus requiri ad grave furtum in rebus, quæ ultro proveniunt, & sunt valde expositæ, v. g. fructus juxta viam publicam. 2. plus in filiis familias, quam in extraneis. 3. plus in furtis minutis, & per intervalla factis, quam in aliis. 4. non censi furtum in viatoribus, uvas comedere in vinea aliena ad refocillandam sitim, modo foras non asportentur. Idem de ceteris sentiunt aliqui, afferentes illud Deuteron. 23. v. 24. *Ingressus vineam proximi tui comede uvas, quantum tibi placuerit*, cet. Verum hæc interpretes explicant de solis hebræis, aut de viatoribus, qui in vinea laborant.

9. *Quest. 8.* Quando graviter peccet, qui furta minuta committit? R. 1. si quis plura furtula levia committat cum animo acquirendi gravem quantitatem, peccat graviter ea intentione; quia voluntas furandi rem in se gra-

vem est peccatum mortale. Et licet quodlibet ex iis furtis in se leve sit, fit tamen grave crimen ex prava intentione, cui substat, furandi magnam quantitatem; qua posita, ea minuta furta moraliter inter se coalescunt, ut faciant furtum grave. Id quod est verum, sive uni, sive pluribus personis aliquid cum eo animo surripiatur. Hinc rei sunt peccati gravis mercatores brevioribus ulnis utentes, sartores particulas panni a diversis surripientes, cet. Qui omnes tenentur ad restitutionem, ut constat ex prop. damnata ab Innoc. XI. *non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta quantumcumque sit magna summa totalis*. Restitutio autem facienda est dominis, si domini sint certi, & graviter læsi fuerint; ut nemo dubitat. Quod si incerti sint Domini, satis erit, restituere pauperibus, vel compensare civibus ejusdem Communitatis, vendendo res minori pretio, aut in majori mensura, vel in aliqua pia, & utilia opera ablatam quantitatem impendendo. Quod si Domini sint certi, nemo tamen illorum graviter læsus fuit, multi, docent fieri satis, si pauperibus ablata distribuantur.

10. R. 2. Si plures simul, vel successive per plura minuta furta graviter alicui noceant, idque ex communi consilio faciant, singuli peccant mortaliter, & tenetur unusquisque in solidum ad restitutionem, eo quod sit causa moralis gravis damni. Verum si alter sciat de altero, nemo tamen cum altero conspiret, Suarez, Vasquez, aliique censent, singulos peccare graviter, scien-

tes, grave damnum alteri inferri, licet neque consilio, neque exemplo alios adjuverint. Sed probabilius est, singulos solum venialiter peccare, cum non sint moralis causa damni, quod per accidens evenit Domino. Potiori jure a gravi culpa excusantur qui simul cum aliis plura minuta furta perpetraverint, per quæ domino grave detrimentum affertur, si alter de altero nihil omnino sciat.

11. Quid vero si aliorum exemplo aliqui moveantur ad furandum, ita ut gravem quantitatem surripiant, sed absque communi consilio? Multi dicunt, peccare ipsos contra justitiam; atque his adhærat Laym. Sed probabilius Salmant. cum Lugo tenent, solum peccare contra charitatem, & quidem graviter, si materia est gravis, ratione scandali, non ita contra justitiam, cum non sint causa positive influens in damnum alterius. Nota, eum, qui sine intentione furandi rem gravem, plura committit furtula, peccare mortaliter, si advertens ultimum furtum complere materiam notabilem, illud exequatur; saltem si rem illam injuste retineat, aut notabile damnum per illud Domino inferatur. Quod si post completam materiam gravem, adhuc quis leve aliquid aliud furetur, Lugo, & alii dicunt, toties peccare mortaliter, quoties aliquid leve surripit, sed Lessius, Salmant. alique opinantur, hujusmodi leve furtum non constituere peccatum mortale, nisi pertingat ad aliam magnam quantitatem. Alia circa furta domesticorum vide apud Auctorem pag. 184. VI. editionis Rom.

CAPUT II.

De restitutione.

21. *Quæst. 1.* Quid est restitutio, & quot sunt ejus radices? R. est actus justitiæ commutativæ, quo reparatur damnum proximo illatum contra justitiam. Differt a satisfactione late sumpta, quæ complectitur quamlibet reparationem pro offensa alteri illata in quolibet genere. Differt a satisfactione stricte sumpta, quæ est compensatio illatæ contumeliæ, vel inhonorationis. Hæc autem respicit personam; restitutio solum rem, cum versetur circa æqualitatem rei ad rem, ut ait S. Th. 2. 2. q. 62. a. 1. Nihilominus quæ destitutione dicta fuerint applicari debent reparationi honoris, & famæ, cum pro utrisque sit eadem regula.

13. Jam vero cum jus proximi lædi possit, vel rem ipsi auferendo, vel injuste retinendo, vel damnum ei inferendo, vel denique iniqua ratione cum eo contrahendo; hinc quatuor assignantur radices obligationis restituendi. 1. scilicet injusta acceptio. 2. injusta retentio. 3. damnificatio injusta. 4. demum contractus injustus, quibus addunt aliqui legem positivam, sive justam sententiam. Ex his capitibus oritur obligatio restituendi, & quidem gravis, si grave sit damnum proximo illatum. Nam qui non restituit, cum potest, nec habet legitimam causam differendi, nocet proximo, eique facit injuriam, privando eum possessione, & usu rei